

Letter 475: 30 April 1532, Augsburg, Gereon Sailer to Capito

The autograph original of this letter is in Strasbourg AVCU, 1AST 157, no. 165.

Christum salutare nostrum. Quae de abmandandis d. Ambrosii pueris, prudenter et pie consulis, aequi bonique consulo; scio expertus nihil illis esse consultius, sed ut id eo potissimum tempore non fiat, duo in caussa sunt, primo quod laqueum vitae boni istius senis mandare videatur, quisquis de ablegandis filiis consulit, tam imprudenter eos atque perdit amat. Homo senex est et vere capularis, qui non poterit nobis superstes esse diu. Ob id pedagogi operam requiro ut ita senii taedium levarem et simul pueros non negligere. Alterum est quod iam eos hic retinet d. Ambrosius magnae est apud nostros auctoritatis. Si ipse me praesertim suadente alio suos mitteret pueros, daret Augustanis alioqui non multum ad litteras pronis ansam vel omnino non curandi scholam nostram vel pueros etiam cunctos alio mittendi. Dicerent statim me per omnes aedes cursitare et hortari ut pueros ad litteras discendas offerrent, quum hoc intra moenia iam possent, et me tamen primum esse qui affines pueros alio mittendos curarem. Quare per sacra te oro ut tua ope quamprimum ad nos veniat adulescens aliquis non annosus et vel mediocriter doctus. Proinde nobis multum commodabis si eloquentem et integrum predicatorem mittes. Da, quaeso, hac in re, si unquam in alia, operam ut diligenter et statim nobis ille contingat. Docto opus esset, o mi Capito, quam vellem te altius perpendere ecclesiae nostrae faciem de qua iam scribere non possum. Vides quod crassa quorundam presbiterorum vicia multum nobis noceant. Sed alias plura.

Scribit ad te uxor d. Ambrosii; tibi opto foelicissima ad foelicissimam (ut passim ab omnibus audio) uxorem successus. Pie egisti, quod honestam duxeris et demortui fratris viduam et pupillos curaris. Varii apud nos de Schweinfurtensi conventu sparguntur rumores. Sperat Satan cum suis dissipatam iri inter evangelicos concordiam. Te per Deum oro ut quam primum rescribas hac de re si quid habes. Saepius lecta Bernatum institutis plus placet. Spero te habere priores meas litteras. Hedionem salutabis. Quando pedagogum constitues, tum et dices Noviomagum superiorem fore et praeceptoris et discipulorum formatorem. Nebulo quidam ex Tigurensium agro novum apud nos excitavit offendiculum, nondum sepulto Sodomificarum scandalo. Vale, inter innumera negocia. Cum Theobaldo plura scribam. Augustae. Ultimo Aprilis anno MDXXXII.

Geryon tuus.

[Address]: Volfgango Fabritio Capitoni Argentoratensis ecclesiae episcopo dignissimo, domino et fratri nunquam non amando.